

IOANNIS FABRICII MONTA- NI POEMATA.

Sylvarum liber vnus.

De consulibus Tigurinis lib. primus.

De Vwilhelmo Thellio Elegia.

CVM EPITHALAMIO IO-
annis Alti Francobergensis.



TIGVRI APVD GESNEROS
fratres.

Omnes sunt pulchræ, castis sunt mentibus omnes:

Has Tigurum matres, has habet atq; nurus.

Quæ postquam sacram simul incessere sub ædem

Spectandi finem iam facerentq; deæ:

Pars ab aquis tacite surgit, tecteq; per urbem

Vt videat quam sint splendida quæq; subit.

Pars in aquis ut erat Limanno proxima perstat,

Colloquioq; Deum posse tenere parat.

Multaq; de sponso rogitat, de virgine multa:

Quis genitor, quæ sint nomina, qualis honos.

Quæ Deus attentis cum diceret omnia Nymphis

Iamq; modum dictis impositurus erat.

Lotis ut in primo propè stabat limine, prima

Infit, & hos roseo fundit ab ore modos.

Magna pater, permagna refers, est nobilis ille,

Nobilis est virgo: dignus uterq; suo.

Sed quæso si non licitis maiora rogamus,

Et tibi nobiscum longius esse vacat:

Instrue nos, veteresq; senex ediffere ritus,

Et refer hoc quæ sint condita sacro loco.

Quid vetus hoc pario structum de marmore templum

In medijs fulgens tam procul extat aquis?

Hæc ubi dicta: decens subito pudor ora silentis,

Occupat, & multo tincta rubore notat.

Ille manu tremula rorantem flumine barbam

Siccet, & experto taliter ore refert:

Ante quadringentos & mille hinc insuper annos

(Cernite quam vobis acta vetusta canam)

Quo Tigurum Latiae parebat tempore genti,
 Et mea Caesaribus regna tributa dabant.
 Forte duo sancti perfusi flaminis aura
 Christicolæ nostras huc adiere domos.
 Nil equidem fingam, Felix & Regula dicti,
 Nomine, & hæc sexu virgo, vir ille fuit.
 Vna parens ambos aluo gestarat eadem:
 Vna fides illis nota, salusq; fuit.
 Cumq; redemptoris Christi pia iussa docerent,
 Affererentq; vnum posse beare Deum.
 Id quod eos patrijs etiam spoliauerat oris:
 Thebanoq; procul fecerat esse solo.
 Decius hic Tiguri qui tunc præfectus in vrbe
 Dives Romanas accumulabat opes.
 Misit, & adductam cepit cum fratre sororem,
 Carceribusq; diu torsit utrunq; suis.
 Atq; fide nota, & sacris desistere ceptis
 Iussit, & ut facerent dira minatus erat.
 Ast ubi constantes confesso fidere Christo,
 Et nullis vidit cedere velle malis:
 (Proh dolor) immiti damnatos morte Tyrannus
 His etiam sua post funera, merisit aquis,
 Hinc vetus hæc sedes, hinc tanti limina templi.
 In medijs extant ædificata vadis.
 Nam post tercentum prædicti temporis annos,
 Cum rata de Christo quæ docuisset, erant.
 Gens mea quod cernis templum fundauit in vndis,
 Vt magis hinc Christi gloria nota foret.

Martyr^q diu possent meminisse nepotes,
 Et simili quondam fidere corde Deo.
 Hoc animo primi templum statuere parentes:
 Sed mox est aliam turba sequuta viam.
 Hec ex martyribus diuos, ex marmore fecit
 Sacra: Papæ tribuunt hoc quoq³ credo malum.
 Donec in hoc tandem postremo tempore, veri
 Lux iterum nobis est patefacta Dei.
 Talia dum prima Limannus origine pandit
 Colloquioq³ suo tempora longa terit.
 Forte retrospicio spaciosi limina pontis
 Qua fuerat sponsum sponsa sequuta suum.
 Atq³ duas illic video splendescere tædas,
 Igne vago rutilas concutiente comas.
 Quo magis accedo, propioraq³ lumina flecto,
 Tædiferos nosco certius inde deos.
 Alter erat licitos Hymen qui iungit amantes
 Et petulans natus Cypridis alter erat.
 In medio Venus ipsa sedet, causasq³ repostas
 Detegit, & natum tædiferumq³ docet.
 Cur Tigura pulchræ nascantur in urbe puellæ
 Et tamen immanes terribilesq³ viri.
 Mars (ait) ut Sicula mecum deprensus in Aetna
 Mulciberis subita captus ab arte fuit.
 Non tamen hinc nostros inquit mutabis amores,
 Quod modo nos victos ludificator habes.
 Quin potius ceptis in fuderis ignibus ignes,
 Et dederis alio gaudia plura loco.

Dixit